



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv  
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

32. Supremus Xau. morbus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

quidam aiunt, suadentibus Lusitanis, fixus nihilo lentiùs in proposito eundi pergebat vir sanctus, cum à nauarcho item nusquam apparente contra pacti fidem desertus est. Nec his quoque tot aduersantibus infractus, generosos conatus in regnum Siani retulit vbi fama inter nautas iactabat, legationem publicè ab Rege ad Imperatorem Sinarum in annum proximum adornari. His ardentem curis ac desideriis, diuina bonitas per legatum alium conuenit, hoc est mortis vicinæ certissimum nuntium quo ab eo in cœlum vocabatur.

Goa quidem abscedens, iam inde præceperat, nunquam se illuc rediturum; familiaribus nonnullis, & Cosmo Annesio nominatim, sciscitantibus, ecquando inuicem reuisuri? in vita nunquam, responderat, sed in cœlo, vel vt serius in valle Iosaphat. In Sanciano præterea Lusitanis sex circum adstantibus; vasa, inquit, ad iter in cœlum, & mortem paremus, annum insequentem pars nostrum maxima non videbit, & vero ex iis quinq; ue illo anno, in quibus ipsemet, obiere. Restabat diem denique, ac horam beati ad cœlos transitus prænosset. Sed neque id illum celauit Deus & Aghiarus nauclerus, fuisse sibi ab eo indicatum iureiurando asseruit. Tam dulcis, & amica parati præmij denuntiatio, omnes eius deinceps cogitationes, ab Sinis in quibus penitus habitabant, in cœlum reuoluit; tempus omne quod morbo præcessit, in eo ponere, deambulare secus mare, erecto in cœlum aspectu & animo, totusque, beatis lacrimis & desideriis incendi, nihil iam nisi de morte, colloqui, de vitæ huius diuturno tædio, de illa nunquam desitura, nullis interpungenda labeculis, Deo æternum potitura, eundemque æternum amatura.

Die Nouembris vigesimo, eoque dominico, sacris operatus, febri corripitur, quodque illic tolerabilius nihil esset, in nosocomium cum ægotis, hoc est in nauim se recipit. Verum longo quotannis quadrimestri, à Nouembri ad Februarium, cum sinum illum infestent aquilones qui fauces portus, & insulam tribus milliariibus distantem interfuit, portumque ipsum eodem impulsu vexare soleant, fluctuatione illa perpetua nauseans vir sanctus, mentem in Deo tranquille, & integrè prohibebatur desigere. Quare postridiè Ludouicum Almeidam præfectum rogauit, vt se in terra deponi mandaret: proiectum in littore conspicatus misericors, & beneuolus Lusitanus Georgius Aluares, ferre non potuit, per aquilonium frigus seuerissimum, virum talem tam indignè iacere; transferri iussit in suam mapale non longe à mari, exiguo colli è ramis & palea instructum, cœli quidem iniuriis peruium, sed deteriori commodius: Die insequenti dolor lateris ingrauescens, pleuritidis fecit inditium. Quare ab Aluare rogatus vt venam laxari pateretur, velut in eius foret arbitrio qui sibi tectum præbuerat, mittendo sanguini brachium porrexit, quanquã gnatus chirurgos cuiusmodi posset is locus comodare. Nec suppetebat alius præter nauis chirurgum, in arte nouitium ac rudem, qui venam secuit adeo imperite vt conuulsis nervis animo linqureretur, & exinde cibum omnem horreret, quem sane horrorem lenire non

31

Obitus sui  
prænoscit tē-  
pus.

32

Supremus  
Xau. morbus.

poterant, pauca (quod vnum aderat) amigdalæ exeunti è navi à Præfeto pro delicatis bellariis donatæ, haud tamen vetuit hic casus quim alteram venæ sectionem eodem brachio admitteret, quæ cessit priori non multo felicius. Ibat morbi vis quotidie in peius sed prostratis naturæ viribus, sua tamen ori, & animo tranquilla serenitas mansit; pertigitque vir sanctus ad diem 8. & 20. Nouembris, fixis modo in cælum, modo in crucem, quam nunquam è manibus dimisit oculis, vbertim flens, & Christum morientem suavissimè alloquens. Post hæc præfenti cum semper animo hætenus constitisset, tantisper exerrauit, vix vt delirium putasset, cum nisi pia & diuina, suumque in Sinas transitum memoraret; inde voce ac viribus defectus, cum obmutuisset per triduum, videreturque statim animam acturus, resumpto mox spiritu ad sacra colloquia rediit, quorum vtinam particulæ aliquot, quas ederemus superessent, specimen deliciarum cælestium, quibus incipiebat iam tum frui; sed rugarum fores obstrepentium molestiam deuotans ocludi iusserat, & refert Antonius à S. Fide latino tunc sermone vsu quem ipse non caperet, iteratseque sæpius illud *IESV fili David miserere mei*, &c. ad Cæli Reginam *monstra te esse matrem*, quodque in ore familiare illi fuit. *O sanctissima Trinitas*. Ad extremum absque vlllo cibo exegit biduum, ornamenta sacra quibus ad altare utebatur, & scriptos ab se de Christiana doctrina codices (erat hæc diuiciarum eius summa) reportanda in nauim curauit.

Morituro adstabant quem dixi Antonius, & alius iuuenis quem in Sinas ducendum, Goæ sibi comitem legerat: hunc vultu, & oculis figens conturbati est visus, eique condolens, bis cum fletu exclamauit, ah miser! vidit enim eius obitum infelicem, quo sesquianno post absumptus est, cum aliquanto prius in libidinum omnium cæno volutatus, demum plumbea giande occubuit; adeo non ante virum Dei prænuntiatio futurorum quam vita deseruit. Dies fuit Decembris secundus hebdomadæ sextus, non vt perperam aliqui notarunt septimus, anni 1552. hora de meridie altera, cum optatissima Dei voce inuitatus in gaudium Domini seruus bonus & fidelis, animaduersus est ab iis qui aderant, in Christum de cruce pendentem aspectum intendere; inde vultum gaudentis, induere, mox in dulces effluere lachrymas, cum quibus in illud Regis Vatis erumpens carmen diuinæ securum fiduciæ, *In te Domine speravi non confundar in æternum*, vna placidissime beatam animam efflauit. Annos vixit quinque supra quinquaginta; in Societate religiosi Ordinis adscripta duodecim; decem in India cum septem mensibus: specie fuit liberali, statura supra mediocrem, egregia corporis constitutione, nec magnis laboribus impari, sed ex iis immoderatus exhaustis, emaciata, gracili, & iam in canos albicante, vt tradit Faustus Rodericus, qui in Amboino egit cum eo per sex menses familiariter, ore ad pulchritudinem virili, nec nimium candido, aspectu iuxta vt multum amabili, sic & reuerendo. Frons eius ampla, nasus decens, vergentes in cæsum oculi, capillus & barba fusci castanei; scribit tamen hoc anno ætatis vltimo,

33

Moribundus  
abitanti iu-  
ueni exitum  
prædicat.